



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Praelectionum Theologicarvm
Tomus ...**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punctum Difficultatis 4. Supposito quòd physicè causarent Sacramenta
gratiam, per superadditamné qualitatem causarent?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82982)

Punctum Difficultatis 4.

Supposito quòd physicè causarent Sacramenta gratiam, per superadditamne qualitatem causarent?

Nomine Virtutis superaddendæ Sacramentis, intelligi potest Virtus superaddita, ad illam qualitatem supernaturalem producendam, quâ mediâ, tanquam instrumento, agitur; & hæc virtus non datur, sufficitque ipse concursus Dei elevativus, ut dictum in simili in prima parte. Rursus nomine virtutis intelligi potest qualitas, quâ mediâ tanquam instrumento agant Sacramenta, ad eum modum, quo datur habitus supernaturalis, ut producat actus gratiosus; & de hac virtute in præsentem quæritur; quâ virtute concessâ etiam actu, non erit necesse concedere prædeterminationem, sed sufficiet, si ponatur principium supernaturale actuum gratiosorum.

ASSERO PRIMÒ. *Probabilem esse qualitatem talem.*

RATIO: Tum quia non implicat. Tum quia est omnimoda proportio inter habitus supernaturales infusos, effectivè productivos gratiæ, & inter hanc virtutem; ergo si illa priora non repugnant, nec hæc virtus repugnabit. Tum quia possibile est Sacramenta causare physicè gratiam; ergo & possibilis est vis, per quam physicè causent.

ASSERO SECUNDÒ. *Supposito quòd Sacramenta causent physicè gratiam, debet concedi talis virtus.*

RATIO: Tum quia ita S. Thomas hic, q. 62. a. 4. in O, & q. 27. de veritate a. 4. *Non operantur, inquit, Sacramenta ad gratiam per virtutem propriæ formæ, sed per virtutem Principalis agentis scilicet Dei, in illis receptam;* & ait: Non aliter hanc virtutem inexistere Sacramentis ad operandam gratiam, quam inexistant species coloris in aere ad movendum visum. Tum quia nisi concedatur hæc virtus, non explicabitur, quid antecedentes partes formæ, producant physicè gratiam, quid consensus Bertæ absentes, causet physicè gratiam in Cajo. Tum quia nihil causat physicè, nisi in se vel in aliquo sui existat: ergo cum frequenter subiectum distet, in quo producenda est gratia, debet producens physicè conjungi illi, hoc autem non apparet quid sit, nisi virtus illa.

ASSERO TERTIÒ. *Non repugnat hanc qualitatem esse materialem.*

RATIO. Tum quia non implicat. Tum quia potest esse in homine, unio materialis, unitiva formæ spiritualis; ergo & potest esse virtus materialis, quamvis instrumentaria, productiva tamen entitatis spiritualis. Tum quia non repugnat Ens materiale supernaturale, nec

repugnat illi conjungi effectiorem rei spiritualis, per elevationem.

ASSERO QUARTÒ. *Si hac virtus esset materialis, indigeret elevatione ad producendum Spirituale, quantumvis supponatur illa virtus materialis, esse supernaturalem.*

RATIO: Quia non habet proportionem cum producendo effectu: ergo debet ad illum proportionari per elevationem; antecedens probatur: quia in materiali, quod est ignobilius genere, non potest præcontineri spirituale, quod est de se nobilius.

ASSERO QUINTÒ. *Non repugnare etiam ut hæc qualitas sit spiritualis.*

RATIO: Quia non implicat.

ASSERO SEXTÒ. *Qualitatem hanc spiritualement magis esse proportionatam gratiæ producendæ.*

RATIO: Quia ex una parte supponitur illa qualitas habitura vim causandi, & ex alia parte Spirituale & Spirituale magis secum conveniunt. Adde quamvis proportionalius fit ut materialia Sacramenta materialem virtutem producant; quia tamen, quid debeat & quale producere, spectari debet penes effectum & finem actionis, censenda erit talis virtus produci, quæ fit illi effectui proportionata, effectus autem iste est, Gratiæ, quæ est quid spirituale: unde etiam materialis ponitur modalitas in homine, quia finis, qui intenditur tunc, est ipsum compositum, quod non est spirituale, sed materiale: est quidem verum, quòd si eleventur Sacramenta materialia, ad illam producendam qualitatem spiritualement supernaturalem, duplici titulo indigeant elevari; & titulo, quia producerent qualitatem spiritualement, & titulo, quia supernaturalem, tamen attento fine illius qualitatis, ad quem producitur, & qui regulat conditionem virtutis producendæ, debet esse spiritualis.

ASSERO SEPTIMÒ. *Non constare qualinam facto sit hæc Virtus.*

RATIO: Quia neutra potest asseri, quin simul debeant poni, vel nova miracula, vel novæ elevationes. Si ponatur materialis illa qualitas, indigebit, ut dictum, de novo elevari; si spiritualis, & hoc sine, vel miraculo, vel recurso ad Deum, non poterit salvari; de quo Præmissis quinto infra.

Explicatur hæc qualitas.

PRÆMITTO PRIMÒ. *Quod possit aliquid agere physicè quamvis in se non existat, modo existat in aliquo sui, hoc est, virtute agendi sibi subordinatâ, & à Deo provisâ.*

RATIO: Quia planta dislita generat aliam plantam, per suum semen; ignis dislitis alium ignem per calorem: & ratio est; quia prius est esse quam causare; ergo si aliquid non sit, nec causabit: ergo cum non est in se, cum possit esse in vir-

in virtute sua, etiam causare poterit in sua virtute; certèque si ponatur aliquid causare in virtute sua, non diceretur adhuc causare nihil.

PRÆMITTO Secundò. *Sicut in physicis, ad hoc ut dicantur aliqua causare, sufficit si existant in aliquo sui, ita sufficiet, ut existant Sacramenta in sua virtute.*

RATIO: Quia non est major ratio unius, quam alterius.

PRÆMITTO Tertiò. *Virtutem illam non recipi connaturaliter in ipso Sacramento, sed ab ipso produci.*

RATIO: Quia virtus illa est per modum principii, quod conjunctum subiecto, producat in illo effectum, tale autem principium non indiget recipi in agente, sed in subiecto, aliàs agens per nihil conjungeretur subiecto, cumque illa virtus non præstet suum effectum in ipso agente, sed in subiecto, in illo etiam recipi debet, ostenditque hoc inductio; quia calor v.g. per quem disponitur lignum, non est in igne, sed producit in ligno seu subiecto, idem dic de aliis.

PRÆMITTO Quartò. *Si illa virtus non recipitur in agente sed in passio, cum passum sit distans, si ponatur hac virtus materialis, necessariò transmitti debet per medium.*

RATIO: Quia aliàs sine miraculo, non posset conjungi subiecto seu passio; cuius etiam in præfenti hæc ratio dari potest; quòd illa virtus sit quædam participatio divinæ virtutis, quæ ubique est, & est simul participatio virtutis humanitatis Christi, nam virtus instrumenti separati, est participatio quædam instrumenti conjuncti, jam autem virtus humanitatis Christi per omnia loca & tempora sparsa est per S. Thoma.

Transmissio hæc virtutis ponitur ordinariè non absimilis transmissioni lucis, transmissioni Virtutis Magneticæ, transmissioni influentiarum celestium in mineralia; & sicut virtus illa non operatur in medio, nisi in disposita materia; ita nec operatur illa virtus Sacramentalis, nisi in subiecto, ad quod transmittitur; & sicut species visibilis; sic & virtus Sacramentalis, est hujus Sacramenti.

Et certè quod attinet ad determinationem hujus virtutis, illa spectari potest vel in ordine ad non agendum, nisi in subiecto apto, vel in ordine nonnisi ad hoc subiectum seu recipiens. Quoad primum; requirit illa virtus subiectum aptum, quia illud requirunt etiam reliqua agentia & virtutes; quod attinet ut illa virtus sit determinata ad hoc Sacramentum, ratio est: quia cum illa virtus sit supernaturalis, non potest ab unoquoque principio provenire, sed nonnisi quod Deus elevaverit, supponitur autem Deus elevare nonnisi hoc Sacramentum.

Major est difficultas, unde oriatur determinatio illius virtutis, nonnisi ad hoc passum seu

subiectum in individuo; consentiant enim duæ sceminae distantes Cajo ad Matrimonium, non operabitur illa virtus, nisi in ea, cui Cajus consenserit; unde ergo habebit determinationem illa virtus, ut in hac potius causet gratiam, præcipuè autem, quia etiam aliæ virtutes, non determinant sibi nonnisi hoc passum; unde etiam & species visibilis Petri, non determinat sibi nonnisi oculum Pauli, cum possit Petrus etiam à Jacobo videri. Posset id ita explanari, nempe quòd Sacramenta, requirant intensionem, idque circa determinatam etiam materiam, determinatione interdum formali supra explicata, interdum determinatione materiali, ut constat in Sacramento Matrimonii; hinc nemo ducit, nisi Bertam, in individuo volitam; quod si requirunt Sacramenta determinatam intensionem, ab illa intensione determinata, participant determinationem, nonnisi ad hoc subiectum ex vi Sacramentalis intensionis; ostendit hanc determinationem virtutis ad hoc passum inductio; quia v.g. in Sacramento, penitentia, virtus illa versatur circa reum se accusantem; & sicut sententia judicis non absolvit quemcunque reum, sed hunc vel hos in individuo; ita & virtus Sacramentalis, idem præstabit. In contrahibus personalibus, habetur similis determinatio; nam si Petrus promittat se servitutum Paulo, non satisfacit, si sui loco substituat Andream, sic etiam cum in Matrimonio sit contractus personalis, fit ut virtus Sacramentalis hanc nonnisi Personam sibi determinet. Addo recurri etiam hic debere ad oblationem concursus divini, una cum illa qualitate concurrentis, ad agendum in hoc subiecto.

PRÆMITTO Quintò. *Casu quo hac virtus sit spiritualis, non potest illa educi ab ipsomet Sacramento, è potentia obedientiali subiecti diffusi, in quo producenda est gratia.* Ratio: quia cum illic non sit Sacramentum physicè, ubi est subiectum distans, nec etiam illic est in aliquo sui, quia tum primum illud aliquid sui produceret, nempe dictam virtutem, fit ut illic physicè non possit agere, & educere illam virtutem. Non potest etiam dici, quòd Sacramenta connaturaliter educant illam qualitatem è potentia sua obedientiali. Imprimis quia aliàs deberet transmitti per medium materiale, ut dictum supra, quod non est capax naturaliter qualitatis spiritualis, hoc enim convenit soli corpori humano, respectu animæ ad se essentialiter ordinatæ, non potest autem dici illa qualitas essentialiter ordinata, ad illud medium. Deinde cum non petat illa qualitas esse tanquam in subiecto in ipso Sacramento, ob Præmissum tertium, & tamen educi; respicit connaturaliter id, è quo educitur, tanquam subiectum, ideo connaturaliter non potest educi illa qualitas, è potentia obedientiali Sacramenti. Denique quia

quia si dicas illam qualitatem non transmitti, sed modo spiritualibus debito, pertransire à termino ad terminum sine medio, id etiam commode dici non potest: non enim id præstare potest ipsa qualitas seipsa ut faciunt Angeli, quia cum illa qualitas sit inanimis, non poterit illi virtus motiva competere. Non potest etiam recurri ad impulsus, quia hic fortè etiam in Angelis si ponatur, requireret transitum per medium, eo quod non videatur convenire alteri transire ab extremo ad extremum, sine medio, nisi mobili spirituali animato; multiplicabuntur etiam istæ virtutes spirituales, producendæ à materiali. Quod si recurras ad Angelum translaturum illam qualitatem, id etiam innaturale est.

Planius dici posset; quod educat ipse Deus illam virtutem spiritualementem à potentia obedientiali subiecti gratiam recepturi, læt id faciat Deus, ad exigentiam supra explicatam complementi Sacramentalis, pro tunc physice existentis. *His præmissis,*

EXPLICATUR illa Virtus. Non repugnat ut aliquod non existens in se, existens autem in aliquo sui causet physice, ut dixi Præmissis primo; consequenter sufficere ut Sacramenta existant in aliquo sui, seu virtute, ut dixi Præmissis secundo; quam virtutem erit necesse recipi in subiecto gratiam accepturo, ut dixi præmissis tertio. Si autem sit qualitas illa materialis, & non educatur è potentia subiecti recepturi gratiam, transmitti debet per medium, ut dixi Præmissis quarto. Si autem sit spiritualis, commodius dicitur eam educi à Deo, ad instantiam complementi Sacramentalis, idque educendo illam è potentia obedientiali ipsius subiecti, gratiam recepturi.

Punctum Difficultatis 5.

Defenditur hæc Qualitas.

DICES PRIMÒ. Impugnando, quod illa qualitas non sit spiritualis. Ut dicatur aliquid causare in aliquo sui, debet illam virtutem producere illudmetipsum, præcipue si sit instrumentum separatum; & sic semen deciditur à planta, calor producit ab igne; ergo virtus illa nec est spiritualis, quia produceretur à materiali, nec potest produci à Deo, ut dictum.

RESPONDETUR. Non repugnare, ut aliquid materiale, si elevetur producat qualitatem spiritualementem. Rursus negatur quod instrumentum debeat produci à principali: frænum est instrumentum Equitatorie, non producit ab Equite; quod etiam procedit de instrumento separato, nam quando attritu duorum lignorum producit calor, ille calor est instrumentum

separatum ignis, & tamen non ab igne, sed à lignis producit, nec apparet quare talis productio, deberet esse de ratione instrumenti.

INSTABIS PRIMÒ. Si qualitas illa esset spiritualis, non tantum in effici, sed & in recipi, penderet ab aliquo materiali, nempe à medio; ergo illa qualitas non esset spiritualis.

RESPONDETUR. Non repugnare ut spirituale divinitus recipiatur in materiali, sufficit; ut ex natura sua, non exigit subiectum corporeum; & ita gratia est spiritualis, licet divinitus possit poni in lapide. Deinde negatum supra, hanc qualitatem si sit spiritualis, in medio recipiendam.

INSTABIS SECUNDÒ. Non apparet quomodo id, quod dicitur esse spirituale, educi possit è potentia subiecti extensi & corporei, non sit quoque divisibile & extensum.

RESPONDETUR. Educere per nos, illam qualitatem è potentia obedientiali animæ gratiam recepturæ; deinde id quod sit elevata virtute, potest se accommodare conditioni naturali Agentis, non subiecti.

INSTABIS TERTIÒ. Posito quod virtus spiritualis etiam divinitus pertransiret medium materiale, vel esset tota in toto, & tota in qualibet parte medi, vel pars in parte, tota in toto. Non primum, quia id soli animæ deberetur. Non secundum; quia supponitur illa qualitas non habere partes.

RESPONDETUR. Immerito assumi quod soli animæ tribuatur ille modus existendi, cum etiam Angelus, divisibilem locabilitatis suæ spheram occupans, sit totus in tota sphaera, & totus in qualibet ejus parte; sed quidquid sit de hoc, negatum supra, talem virtutem transfiguram medium materiale.

DICES SECUNDÒ. Urgendo quod illa virtus non possit esse materialis, idque ex eo, quia est supernaturalis.

RESPONDETUR. Ordinari illam qualitatem ad aliquid spirituale, sed cum indigentia ulterioris elevationis; repugnat autem elevari aliquid materiale, ad producendum spirituale. Addo anima rationalis non est corporea, licet essentialiter ordinetur ad Corpus, phantasma etiam ordinatur ad impressam speciem spiritualementem, & tamen est materiale.

INSTABIS SECUNDÒ. Illa qualitas æquè esset materialis ac Sacramenta; ergo si Sacramenta non sunt operativa gratiæ, nec illa virtus operabitur.

RESPONDETUR. Non ex eo Sacramenta immediate non producant gratiam, quia sunt materialia, sed ex eo, quia non existunt physice simul in se.

INSTABIS TERTIÒ. Non constare quod ab aliquo materiali possit produci etiam divinitus spirituale.

RE-